

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Instructio practica ...**

De Conversatione Apostolica - A Curatoribus Animarum piè & fructuosè instituenda ; Complectens varios & solidos modos juvandi & consolandi diversorum Statuum Personas afflictas, praecipuè aegras & captivas ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1680**

§. 3. Quomodo agendum sit cum illis, qui inimicitias deponere nolunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49274](#)

porcorum stabulum intraverit, ibique cum porcis habuit  
filius & fæces comedenterit, in luto, si quod vedit, se volu-  
rit, vomitum resorbuerit &c. Inferatque, peccatorem e-  
lēm, bestiisque se assimulare. 6. Fingat esse aliquem  
Testamentum, quo ingens hæreditas ei transcribeatur,  
pretio vendiderit; & ostendat, talem esse peccatorem,  
gratiam pro vili voluptate vendat. 7. Fingat Duce-  
dam, cui arx valde opulenta commissa sit, cāque insuper-  
lis, vili pretio corruptum, se & arcem hostibus capitali-  
tradicisse. Inferat hoc peccatorem agere, qui arcem an-  
diabolo tradit. 8. Fingat, comicum fuisse, qui, cūm po-  
citus fuisset comediam exhibere, atque ideo Regem  
tota Aula sua invitasset, nunquam tamen in theatrum pro-  
xit, & comediam auspicatus sit. Inferat, talem comicum  
peccatorem, qui conversionem differt.

X. Quandoque illi ostendat, quantum gaudium cu-  
possit DEO & omnibus Sanctis, si serio se emenderet. Eu-  
finem proderit attulisse favores speciales, quos peccator  
sincerè conversis exhibuit DEVIS, maximè S. Magdalene,  
et Aegyptiacæ, Pelagiæ &c.

XI. Proderit etiam declarare minas, quas proposuit DI-  
IN S. Scriptura adversus eos, qui vocantem DEVIM audie-  
stulerunt, maximè illam Prov. c. 1. ubi ait DEVIS ad ihu  
*Quia vocavi, et renuiisti; extendi manum meam, et  
fuius, qui aspiceret, ego quoque in interitu vestro rideba-  
sub sannabo, cum vobis id, quod timebatis, evenerit. Ad  
rum minarum confirmationem adducat unum alterum  
exemplum Tragicum, in quibus minæ tales implera-  
maximè illius rustici, pro quo, cūm post mortem ejus ex-  
mo De profundis ille versiculus: *Fiant aures tua inten-  
tes et canticum cantaretur, imago Crucifixi feretro insistens in  
de ligno resolvit, iisque aures obturavit.**

### §. III.

*Quomodo agendum sit cum illis, qui Inimi-  
citias deponere nolunt.*

I. *G*rauis hæc & superatu difficilis tentatio est, unde di-  
sa quoque media adhibere convenit, ut, si unum  
proficiat, alterum sortiatur suum effectum. 1. Inprimis

proponat talibus personis exemplum Dei, ut Christus Matt. c. 5. fecit, dum dixit: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, orate pro persequentibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et injustos.*

II. Proponat exemplum Christi, qui in cruce exclamavit; *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt,* Luc. 23. Inferat ergo: Si Dominus inimicis tam gravibus tam liberaliter ignovit, tu servus illius minoribus non ignoscere? Hoc exemplo Theodosius Imperator se animabat; cum enim rogaretur, ut veniam ijs, qui ipsum offenderant, daret, respondit. Quid mirum est, si nos, qui homines sumus, homini ignoscamus, cum Christus, qui Deus est, inimicis suistantis tam liberaliter ignoverit? Merito ergo S. Bernardus in tr. de Pass. c. 8. ait: *Reconde in thesauro cordis tui hoc verbum (nempe Pater ignoscet illis,) ut quotiescumque serviunt inimici, memoria abundantia suavitatis IESV Valeas eructare, hunc clypeum contra inimicorum insultus opponens.*

III. Ostendat, quam necessarium sit, ignoscere inimicis, eo quod aliqui nec nobis dimittantur peccata nostra, uti patet ex servo Evangelico debitum suum parvum dimittere nolente. Hunc in finem proderit unum alterumve exemplum paulo terribilius adferre, v. g. de Sapitio Sacerdote, qui jam ad martyrium ductus, quia Nicephoro veniam petenti eam negavit, mutata mente Dijs immolavit, uti apud Surium 9. Februarii videre est. Aut de muliere, quae, cum in turba hominum ab adolescenti leviter impulsa & humili prostrata, veniam flexo poplite, & junctis manibus petenti negasset, a demone inspectantibus omnibus abrepta, & in puteum dejecta est, uti S. Bernardinus Senensis s. 15. Quadr. refert. Aut de illa muliere, quae, quia dimittere noluit, in morbo, dum ei SS. Eucharistia pro viatico offertur, vultum avertit, & dixit: *sicut ego averti vultum ab alijs, nolens eis dimittere, ita DEVS avertet nunc vultum suum a me.* Haec dicens, obiit. Spec. Exempl. V. Dimittere ex. 6. Aut de illo, qui cum esset mortuus, & in Ecclesia pro eo preces consuetae dicarentur, Crucifixi imago manus retraxit, & auribus opponens dixit: *Nec pepercit, neque parcam.* ib. ex. 4. Quod si dubitaret Sacerdos, num is, cum quo agit, scrio ignosceret, posset terribilem illam historiam

de Nóbili illo Cordubensi narrare, qui, quia siētē tantam  
niam dederat, Angelii duo Sacerdotem ad ejus Sepulchrum  
deducentes, jussérunt SS. Hostiam ex ore auferre, quod  
deturbatum cadaver in fossam videri desit, uti fūsūs ipse  
est in Pædagog. Christi. p.2 c. 15. §.2.

IV. Ostendat, quantos favores Christus exhibuerit iuxta  
inimicis ignoverunt; nam S. Gualberto & alteri cuidam  
bili Anglo, post condonatam hostibus, ab illo quidem  
tris, ab hoc autem Patris cædem, ad Christi effigiem orans  
vīsus est Christus viventis modo, toto capite annuere, &  
tum approbare, ut Baron. to. II. Anno 1051. testatur. Mu-  
xi verò cuidam, quæ occisorem filij in domum suscepere  
DEVS rependit hanc gratiam, ut & filium ejus ex purgatione  
criperet, & ipsi vitam æternam promitteret, ut Faber in  
S. Steph. conc. 3. n. 3. refert.

V. Declaret, quām præclarām habeat occasionem inge-  
tia bona sibi comparandi, si sincerè & liberaliter igno-  
Inimicis. Nam 1. per hanc viam facilimè obtinetur rem-  
fio peccatorum, juxta illud Christi Matt. 6. Si dimisisti  
hominibus peccata eorum, dimittet te et tu Pater Cœlestis  
lestis de lata vestra. Beati misericordes, quoniam miseri-  
diā consequentur: Ib. Quis autē non libenter tres obolos  
ximo remitteret, ut aliquot millions debitorum sibi ren-  
tereantur? 2. Ingens præmium in cœlo sperare potest, sed  
majus meritum ibi est, ubi major difficultas reperitur; quid  
bitet, huic actui maximum olim præmium responsurum, si  
maxima in eo difficultas reperitur. Certè S. Chrysostomus  
ho. 3. de Saule & David dicere ausus est: Ea res pro Marti-  
rī computabitur si insidias molientem, & ad tantam pro-  
dū malevolentia, inter bene meritos numeraris, non defun-  
orare pro illo, Deum obsecrando, ut illi fiat propitius. Hinc  
S. Agnes aliquando D. Brigitta l. 4. rev. c. 124. dixit: Nichil  
pulchrius, aut acceptius Deo, quam laudentem se diligenter  
pro persecutib[us] exorare. 3. Etiam majorem sibi honore  
& famam comparare potest ignoscendo, si enim magnam si-  
obvenissę gloriam crederet, si exercitū multis militibus cu-  
stantem superāsset; an non majorem obtigisse dicet, si vita  
riam de seipso reportet, quæ omnium nobilissima est? Illa  
S. Gregorius Nyssenus l. de orat. dicere ausus est, talem hon-

nem non videri amplius intra terminos humanæ naturæ conspici, sed ipsi DEO per virtutem assimilati, dum facit ea, quæ solius DEI est facere; debitorum enim remissio, proprium ac peculiare DEI munus & officium est.

VI. Ostendat illi, quod Inimicus sibi potius, quam ipsi nocuerit; similes enim sunt tales homines, qui alicui nocent, vulpeculis Samsonis, quæ, dum segetes Philistæorum accendebant, seipso etiam peremerunt; similes sunt unicorni, quæ, dum alium cornu appetit, seipsum ita arbori affigit, ut extra hinc illud non possit; similes sunt gladio Adamantem aut similem ferienti, qui se potius destruit, quam lapidem; similes sunt apibus, quæ, dum alijs aculeum iufigunt, se perimunt; similes sunt canibus lapidem invadentibus, qui dentes potius suos consumunt, quam lapidi noceant; similes sunt illi, qui candelam emungit, ac candelæ quidem lumen clarius facit, digitos autem suos adurit & contaminat. Unde & S. Hieronanus ad Eustochium ait: *Apud Christianos non, qui patitur, sed qui facit contumelias, miser est.*

VII. Ostendat, quam multorum bonorum occasio illi sit Inimicus, illorum nimirum omnium, quæ n. 5. indicavi; si ergo amamus eum, qui nobis viam facit ad ingens lucrum faciendum, vel occasionem præbet ingentis præmij obtinendi; si diligimus eos, qui nobis vel in pugilatu vel in Academicis certaminibus sese opponunt, atque adeò occasionem faciunt fortitudinis & doctrinæ nostræ ostendendæ, an non tanto magis diligamus Inimicos, quanto majora bona sunt spiritualia, quæ per amorem Inimicorum obtainentur, quam materialia, quæ in hoc mundo tam sollicitè queruntur.

VIII. Horetur, ut Inimicum tanquam manum & instrumentum, aut legatum DEI intueatur, quo Deus usus est ad ipsius læsi speciale commodum; an non enim ut sic exoscularitur potius manum, aut legatum DEI tam paternè castigantis? Aut certè horetur, ut eum intueatur tanquam à dæmonie impulsum, aut morbo suo, an non ut sic potius condicet ipsi, quam irascetur?

IX. Ostendat, quod si velit vindictam de hoste capere, non possit id melius facere, quam si totam suam causam Deo committat, sic enim ipse Deus petijt: *Mihi vindicta, Et egoretribuam.* ad Röm. 12. suadeat ergo, ut sequatur exemplum

S. Jes.

S. Jeremias dicentis c. 11. Tu autem Domine Sabaoth, quidicas justè, & probas renes & corda, sedeam ultionem tuam ex eis, tibi enim revelavi causam meam. Profectò quā modo vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, unpiens Eccl. 28. c. ait: unde S. August. in Ps. 102. hortatus: Ferto injurias, securus esto, faciet enim misericordia DEVS, & iudicium omnibus injuriam accipientibus.

X. Præterea verò etiam in memoriam illi revocet, quod nulla re magis se vindicare ab inimico possit, quām si non faciat injurias ejus; ita enim docet S. Hieronymus in Epistola ad Hebræos, dum ait: Nihil ita confusam facit iniuriantes, sicut fortis & mitis patientia tolerantis, & non in opere, neque in lingua se vindicantis.

XI. Suadeat illi, ut justitiam Dei consideret, illaque tamen vindictam committat, ut qui ipse Rom. 12. dicit: Misericordiam, & ego retribuam. Unde rectè S. Chrysostomus hoc ad Pop. Cū minos ipsos, inquit, ulciscimur, DEVS non debet: cum autem ipsi concedimus vindictam, plus quam nos & amus, efficiamus. Ita S. Ignatius expertus est, uti Ribadeus l. 5. vit. c. 2. testatur contra quem cū pater quidam impetu animi abruptus acerbior extitisset, & S. Ignatius pro ipsius Missa magnam vim lacrymarum profundens dixisset: Igitur Domine, parce Domine; respondit Dominus: Sine me, quod enim pro te vindictam sumam? ego, nisi resipiscat, ultoriam stam. Quod & factum, nam dum Pater ille in templo quodam Sanctorum reliquias intuebatur, inter ossa etiam hominum vultum vidit truci aspectu intentantem flagellum, nisi ligatio pareret. Eo viso, quinquam ille timorem nonnihil presserit, multis tamen, magnisque molestijs affectus es.

### CAPUT V. DE CAPTIVORVM APOSTOLICA CONFORTATIONE.

**D**E Confortatione inscribitur hoc caput, quia, licet plures sint officia, quæ Operarium erga captivos præstare oportet, ipsa tamen confortatio meritò præcipuum, & velut locus exterorum estimatur, uti ex ijs, quæ in toto hoc capitulo continentur, apparebit. Ut verò melius, faciliusque, quæ hoc loco dicenda sunt, intelligantur, notandum est, duplicis generis.